



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

**Brevis Et Vera Historia De Qvodam, Qvi Non Ita Pridem
Factvs Est In Svevia Ex Psevdocatholico, Confessionis
Avgvstanæ Neophytvs**

**Moreius, Benedictus
Canisius, Petrus**

Antverpiæ, 1568


urn:nbn:de:hbz:466:1-29796



Th. 1164.

f. 21
3.





BREVIS ET

VERA HISTORIA

DE QUODAM, QUI NON ITA
PRIDEM FACTVS EST IN
SVEVIA EX PSEVDOCATHO-
LICO, CONFSSIONIS AV-
GVSTANÆ NEOPHYTVS.

Cum Compendiaria apologia.

AUCTORE

BENEDICTO MOREIO.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini.
M. D. LXVIII.

BREVIS ET

VERA HISTORIA

DE

SVMMA PRIVILEGII

*CAVTVM est Regio priuilegio, ne quis
alius præter Christophorum Plantinum, librũ,
cui titulus est, Breuis & vera Historia de
quodam, qui non ita pridem factus est
in Sueuia ex pseudocatholico, Confes-
sionis Augustanæ neophytus, imprimat,
vel alibi impressum vendat hinc ad trienniũ,
sub pœna confiscationis librorum, vt latius pa-
tet in literis, datis Bruxellæ M. D. LXVIII.*

Subsignat.

I. de Witte.

BENEDICTVS

MOREIVS CANDIDO

LECTORI. S.



VVM Louanium his die-
bus venissem, ut non-
nunquam soleo, & Pa-
tres Societatis Iesu salu-
tassent; quam ego Societatem vebemen-
ter amo, ac suspicio, propter eximiam
illorum Theologorum tum pietatē, tum
doctrinam; propter singularem etiam
quam huic calamitoso seculo afferunt
vtilitatem; quibus cum summa ab Hi-
spania vsque mihi semper intercessit fa-
miliaritas. Rogo, ut valetis Patres
mei? quomodo sese habent res vestrae
in superiori Germania? in hac scio (in-
quam) euersum collegium Tornacēse,
à furiosis & impiis Geusis; sed sta-
tim quasi substitutum illi esse Audo-
marense; & Tornacēse audiui ex parte

A 2 resti-

4
restitutum; de aliorū collegiorum ere-
ctione agi, res esse secundas in Belgio.
Quid igitur intelligitis de superiori
Germania? Sunt item res illic prospe-
ra, (inquiunt:) proximo anno erecta
aliquot collegia: fit non contemnendus
fructus, nisi quod audimus, turbam
excitatam in Sueuia, aduersus Dillin-
genses, de quodam nouitio, qui deserto
tyrocinio defecit ad Protestantes, non
ita dudum. Ibi ego rem studiose peto
mihi exponi; narrant (vt solent) mo-
destissime, absque ulla verborum vel
acerbitate, vel amplificatione, puram
historiam. Exarsi (fateor) zelo; disce-
do ab illis Patribus commotus; cœpi
tamen ego animum meum postea sola-
ri; quid noui est, si vnus aliquis noui-
tius in tyrocinio suas operas non pro-
bet, & dimittatur? vel quid aded mi-
rum, si aliquis deficiat à nouitiatu, ac
fugiat? non potest hoc fraudi esse So-
cietati;

5
cietati; atque adeò hoc solet esse saluti
religiosis ordinibus. Hinc igitur depo-
nebam zelum: illinc tamen non potui.
Insultabitne propterea quidam, non
solum in optimos Patres, sed in Eccle-
siam simul Catholicam? hoc ferri non
potest: accipio calamum, ut aliqua ex
parte & animo meo satisfacere & ze-
lo. Verùm duo mihi obstiterunt: vnũ,
temporis angustia, erat enim in foribus
Francfordiensis mercatus, nec pote-
ram ante illud tempus iuste actiõni o-
peram accommodare: alterum, quòd
libellum illius insultatoris non habe-
bant Patres, neque alibi potui inue-
stigare. Non fui tamen his difficulta-
tibus deterritus, nec mea mediocritate
ingenij, fretus cause bonitate. Quod si
nunc non possum illum hominem pro
eius merito accipere, concedet Christus
aliquam vitæ vsuram, quo plenius
possim in eodem argumento ingenium

A 3 exer-

exercere. Scripsi igitur, & breuiter,
 & celeriter. Iam si cui videar dicere
 aliquando acerbius, vt solet plerunq;
 stylus excurrere, serè manu nolente; id
 sanctè confirmo, non eò factum, quòd
 non diligam omnes Germanos, & ho-
 norificè non soleam appellare; præfer-
 tim Principes, nobilitatem, ac reli-
 quam etiam multitudinem: tantum in
 Nouatores sum animo (fateor) com-
 motiori, qui harum turbarum, ac ca-
 lamitatum, fuerunt, & sunt archite-
 cti. Et tamen iam inde cùm primum
 Germaniam vidi, quam non semel
 vidi; bene de salute omnium spe-
 rari; difficilius longè de Nouatorum.
 Scire hæc te volui, Lector honeste.
 Vale.

HISTO-

HISTORIA.

VENIT IN BELGIUM
adolescēs mendicus qui-
dam Calvinianus , hoc
biennio opinor. Hic cū
propter egestatem , ne
inter hæreticos quidem & suos , velex
stipe vitam sustentare, & grammatices
studia tueri posset ; induxit in ani-
mum, sibi omnia maleficia licere ; vt
deprauat ac peruertit bonam etiam
naturam hæresis . Induit igitur per-
sonam iuuenis Catholici, pij, modesti,
esse se exulem propter Catholicam fi-
dem in animo cōseruandam , effingit:
multa passum ab hereticis, vix ab eorū
manibus elapsū; conijcere licet alia,
quæ poterant causam inopis, & exulis,
ac si velis Cōfessoris, cōmendare, & cer-
tiorē fucū facere. Sunt Louanij, vt in
multis Germaniæ ciuitatib⁹, Socij Iesui-
tę; hi religiosū vitę institutū tenēt, quod
eō spectat, vt omnibus ferē ministerijs
Ecclesiasticis, vtilē suā operam Ecclesię
Catholicę probēt. Quos ego homines
scio studiosis egenis benè cōsulere sole-

A 4 re,

re, ad suam etiã societate recipere non nunquam, non quibus leuiter fidem habeant ex verbis, sed quorum examinare ingenium soleant diligenter ac prolixè ex factis. Sic enim eorum est ratio; noster est (inquiunt) diuturnus nouitiatus, quo tyrones exercemus; si quis probet suam pietatem nouitius, exercuerimus in illũ charitatẽ ex instituto; promouebimus ad studia; curabimus vt Ecclesiã orthodoxã idoneus operarius euadat: sin cõtrã accidat, vt suis præfectis non placeat, ibi aliam exercēbimus virtutem; & quem ex charitate instruxerimus, eum ex iustitia charitati coniuncta, reijciemus. Ad hos igitur peruenit hic adolescens, collo ad pietatem Catholicam contorto: hos existimauit idoneos, vbi pietatem ementiretur, & sua studia cõsummaret. Persuadet bonis Patribus; mittitur in Germaniam superiorem; exercetur in nouitiatu; probat acta sua; destinatur ad studia, etiam dum nouitius, Dilingam. Omni hoc tẽpore, singularem heretici hominis impudẽtiam atq; impietatem cognosce. Horũ Patrum est institutum,

tutum ; vt qui sacris non sunt initiati, octauo quoq; die Catholicè fateantur Sacerdoti peccata, & sacram Synaxim accipiant ; hic Calvinianus nunquam hoc institutum intermisit. Sunt multa virtutum opera, quibus religiosè solèt tyrones exerceri, erat tam alta huius simulatio, vt hæc omnia non solùm præstaret, sed alijs nouitijs præiret exemplo, & laudem apud suos præfectos mereretur. Extorsit itè nouitio sibi vt extra ordinè liceret, vota (vt vocant) simplicia nuncupare ; sanctè etiam deuouere, perpetuò se in obedientia illius Sodalitij futurum. Quid facies tantæ perversitati ? Quod si Christus Iesus his bonis Patribus non prospexisset comode, eorum impensis studia absoluisset iste impostor, & malitiam ad finem vsq; consummasset. qua in re Dei benignitatem ac prouidentiam contemplari libet: Fiebat fidei professio, quam tamen non erat hic factururus, sed qui ad gradus scholasticos, vel ad docendum essent promouendi. At tamen vel quòd aliquid illis Patribus suboluisset suspicionis, vel quòd instinctu aliquo inter-

no ducti essent ; dixerunt vt nouitius iste etiam, fidei Catholicæ professionē faceret. Hic verò incipit vlcus aperire tandem; abijcit personam ; fatetur hæresim , atque obstinationem. Prodit quod diu intus latuerat ; nunquam videlicet se fuisse in nouitiatu Catholicum, nunquam non retinuisse fidem, quam ex patria attulerat : nihili se facere doctrinam Conciliorum, Patrum, Ecclesiæ Romanæ ; se spiritu Dei esse edoctum . notæ sunt reliquæ hæreticorum animorum deprauationes. Hunc igitur cum ex instituto retinere non possent , ad Doctorem Canisium dimiserunt ; vel ad meliorem mentem reuocandum , vel è sodalitate reijciendum. At ille iam totus efferatus, & cōscientiæ suæ impatiens, deficit ad Confessionistas, nec ad Canisium peruenit. Exceptus est summo gaudio : institutus est accuratè : publica celebritate abnegauit Catholicam fidem & Iesuitismum : solenniter professus est se Lutheranum : Literis ad immortalitatem rem cōmendauit quidā : pro corollario, in Iesuitas & Papistas inuectus est.

A P O L O G I A .

HISTORIAM, EN
 triumphū, de Caluina-
 no, Papista, Iesuita, iuue-
 ne, imperito, egeno. Nā
 de quo tandem trium-
 phatis? de Papatu? non ne pudet, pro-
 pter vnum impostorem Calvinianū,
 sua voluntate ad vos transfugientem,
 vt vobis quā Iesuitis confidentius
 imponat? Papatum vicistis. At de Iesui-
 tis. Quid igitur euicistis in Iesuitis?
 quid de illis gloriāmini? Nolo vos er-
 rare; audite: tametsi sunt qui vos existi-
 mant dignos, de quibus dicatur; finite
 illos, cæci sunt. Audite tamē homines
 improuidi & insolentes. At vos pro-
 clamabitis, me in Principem esse pe-
 tulantē: non sum: non enim in Princi-
 pem vllum hæc dico, omnes Germaniæ
 Principes suspicio; eorū magnanimita-
 tem, atq; nobilitatē laudo. Et si eos qui
 alterius quā veteris & Catholicæ re-
 ligionis sunt, probare non possum; mi-
 seror tamen & desleo. Hem indignita-
 tem non ferendam; præstantissima in-
 genia, animi generosissimi, lumina
 Chri-

ficio, vbi primum rescuerunt, dimit-
tunt. Quid tu hic euincis? quid ma-
li? quid detrimenti accidit Sodali-
tio? nouitium comperit hæreticum
impostorem; contendit primùm iu-
uare; nõ vt retineret, sed vt Ecclesiæ
Orthodoxæ conciliaret: id non pro-
cessit: mittit ad egregium & vobis
plusquam velletis notum Doctorem
Canisium. Quid non est hic è discipli-
na Ecclesiastica? quid non è charitate
profectum? Aluerunt quem existima-
bant tandem idoneum, qui ad Socie-
tatem reciperetur: docuerunt Catho-
licè: exercuerunt religiosè: vbi primum
comperiunt illum hæreticum, in eum
tamen charitatem non remittunt; sed
multis argumentis, multis officijs, ni-
tuntur ad sanitatem reuocare; nihil
faciunt reliquum suæ diligentia, in-
dustria, labori, ne ille periret; donec
confugit tandem ad paratũ hæretico-
rum asylum: Deus docet me; Spiri-
tus Christi, verbum Dei est in corde
meo; nulli credo, præterquam meo
spiritui. Vt planè sunt omnes hæreti-
ci

ci (quod inquit Paulus) *αὐτοκαταλείπει*,
 per se, & à se condemnati. Quid e-
 nim aliud est, nulli credo præterquam
 meo spiritui? hic verò est spiritus, qui
 viget ferè in omnibus auctoribus hæ-
 resum, atque in eorum asseclis; eò tan-
 dem accurrunt, spiritus me docet; nul-
 li præterea credo. Sunt igitur hæretici
 omnes *αὐτοκαταλείπει*; tametsi sunt
 veteratores plurimi, qui ne hoc qui-
 dem spiritu erroris nituntur, sed pro-
 pter carnis libertatem hæretici fiunt.
 Quid tunc boni illi Iesuitæ? quò se
 verterunt? necdum animum remit-
 tunt, intendunt adhuc in illum chari-
 tatem; mittunt ad eum, per quem
 scièbant, Christum multos Ecclesiæ
 hierarchicæ restituisse: poterant alio-
 qui à suo collegio pestilentem novitiū
 expellere; maiori illum beneficio pro-
 sequi non potuerunt. At Dæmon, qui
 semper timidus est, vt semper victus,
 exhorruit Canisium; noluit prædam
 è manibus suis elabi; quod metuebat
 futurum, si in manus Canisij incidis-
 set. Nouum consilium machina-
 tur

tur veterator ; iam ampliùs non possum decipere istos pessimos homines, Papistissimos nebulones: age; decipiamus per hunc Calvinianum vicinos Protestantes; his illudamus: nam illud certum est, hunc non deserturum suum Calvinum; non suam simulationem: cùm autem apud hos in literis profecerit, erit mihi idoneus satelles, ad meas artes, non Calvinismi solum, sed atheismi etiam exercendas. Placet mihi vehementer huius hominis ingenium: nihil longo iam tempore vidi meis artibus magis accommodatum. Hæc consilia trahunt hominem ad vos; hæc pestem auerunt à Iesuitis; conciliant vobis. At vos improuidi hæc nō intelligitis *παραρηματῶν*; exultatis: epinicion canitis: dicite io pæan; & io bis dicite pæan: Succinis tu, incidit in casses præda opulenta meas: agitis triumphum de Iesuitis; at Dæmon de vobis; vos sugillat vester neophytus; alite, promouete, cohonestate hominem; scitis quàm habeatis pacatos Calvinianos. Quis igitur hic triumphum-

triumphat? Dæmon: quis præterea?
 Calvinianus: de quo? de vobis: qui
 nam liberantur & beneficium acci-
 piunt hac victoria? Iesuitæ: Nam quo
 pacto illum defendes, apud vos non
 esse, quod apud Iesuitas fuit? idem a-
 pud vos non venari? ut qui per egesta-
 tem non potest studia sua promouere,
 id vestra impensa, vestra gratia conse-
 quatur; dein ut ad suum Calvinum re-
 deat. Iam igitur intelligitis, nihil læ-
 sam Iesuitarum existimationem, no-
 uitij defectione: imò singulare potius
 accepisse Iesuitas beneficium, qui ab
 illa lue fuerint liberati. Sed video
 quorsum tua exultatio spectet; fat est
 tibi nomen Iesuitarum traducere a-
 pud vestros; satis ut Iesuitas vlcisca-
 ris: hi enim, τὰ συν' ἐπ' ὀφθαλμοῖς
 τοῖς ὑμῖν; φύντο; hos modò Papistissi-
 mos appellatis, modò obstinatissimos
 nebulones; de his ille vester perpe-
 tuò afflictus, dubius, miserabilis Phi-
 lippus gemebat; heu, quid faci-
 mus? mundus est plenus Iesuitarum.

Alius,

Alius, vehementer remoratur cursum
Euangelij pessimi Iesuiddæ, ne vnus
quidē esset reliquus Papista in Germa
nia, si istos tabulas cacodæmon nō in
trussisset odiosissimè. Verum requiro à
vobis hoc loco Germanicam magna
nimiam, tam estis timidæ & profligata
mentis, vt quum sitis infiniti do
ctores, & scriptores, concionatores in
numerabiles in vestra confessione, hi
autem paucissimi, tam illos timetis abi
iectè, vt de fece ipsorum tantum orne
tis cōuiuuium? Nihil (inquis) nostra re
fert, etiam si non fuerit re vera Iesuita,
fuerit siue tyro, siue famulus, nos Iesui
tam dicimus, nos in illo nomen Iesui
tarum insectamur, non rem: sat est vt
iacturam aliquam faciât, si nihil aliud,
hominis saltem, Iesuitæ apud nostros.
At id facis per calumniam, & menda
cium. quid tum? hæ sunt nostræ artes;
digni sunt Iesuitæ verbi Dei oppresso
res, quos iure iniuria, persequamur, atq;
opprimamus; ita docet nos Pater no
ster Elias Germanicus; vt ponamus spè
mendaciū; vt mendaciō protegatur.
At vide; agam tecum liberalius, nullus
tibi

B

qui-

quidem hætenus ex vniuersa illa Societate defecit, qui esset planè admiffus, vel professionem solennem edidisset: quod mihi sanctè confirmauit quidam ex his vir primarius, Si qui deficiūt, si qui dimittūtur, vt euenit, vt necessum est non nunquā, ij sunt adhuc tyrones nouitij. Sed fac defecisse professum, Doctore, professore, præfectū: fac quemcūq; Primum quid reliqui vobis fecistis, quo illius hominis defectio- nem celebraretis: qui omnia ornamen- ta, omnem gratulationē, in hunc nouitium Calvinianū, imperitum, nihil mi- nus quàm Iesuitā cōsumpsistis: Et hoc quidē insigne Dei beneficium, hūc or- dinem accepisse, necessariò cōfitendū est, quòd nullū abripuerit tēpestas ali- qua, arctius ad Sodalitatē receptum: id quod prouidentia instituti fecit, diu- no consilio; quū tot experimentis, tot virtutū actionibus, suos tyrones exer- ceant, & tam prolixè: acceperint præ- terea salutarem illā facultatem, Socie- tatē expurgandi; si qui secus quàm de- ceat, vel sperabant, se gerant. Et tamen non adeò desipiunt Iesuite, vt quod ac- cidit

cidit Collegio Apostolorum, quod primorum Diaconorum coetui, id suo Sodalitio accidere posse negent; nec propterea si illud accideret, animū despōderent, vel aliud existimarent, quā id à Deo permitti, ad eorū humilitatē exercendam, excitandā maiore animi pietatem, & eorū Societatem firmiter stabilendam. Sed fac aliquem vel ex primoribus deficere, etiā ad Lutheranismū: fieri etiā in vestro exercitu primipili centurionē. Cur de hoc triumphatis, qui de tot monachorum centurijs sub iugū missis Lutheri, ne ouastis quidē? & si qui ad vos adhuc transfugiūt, tacetis? Non ne percipitis summā laudem hāc à vobis proficisci in Iesuitas? at quanto maiorem, si ipsoꝝ sordes ac *deprimēte* tam sunt vobis preciosa? Fuiſſet potiùs illud generose despiciendum; transfugit ad nos Iesuita: quid tum? quid mirum? oportet hominem ignauum esse, & nihili, qui induxerit in animum, vel vno die seruitutē perferre Iesuiddarū. At vos exultatis de transfuga non Iesuita, sed Caluiniano sycophanta; nescitis esse ma-

gnanimi ; sunt enim *μεγαλόψυχοι*, ijdē *καταφρονητικοί* rerum humilium præfertim. At vos rem nō solum paruam, sed inutilem vobis ac noxiam extollitis, desertorē Calvinianum : tum magni facitis Iesuitas, bonæ quidem mentis homines, & obsequentes Catholicę religioni, & suis præfectis, ac eruditos; sed nihil scilicet quod sit viris doctis, quales vos estis, vel suspiciēdū, vel timēdū. Esse item hæretici nescitis; (quod nobis nō displicet) qui ad vmbra Iesuitarū timetis; qui ad singula Catholicorū argumēta trepidatis; immutatis identidem confessionem fidei, dogmata, libros, Catechismos: & ne ad Catholicorum quidem argumenta tantum, sed etiam propter vestras inter vos contentiones, fidem subinde permutatis. Hinc tot dissidia inter vos; tot sectæ, tā fœdè dissectæ, vt vix quisquam sit vestrūm, qui non aliquoties fidem ac religionem mutauerit. Et quid mirum? ita factitauit vester Mauortius Heros. Et vt hunc locum absoluiam, qui tamē est fœcundissimus; quanto honestius fuisset, si illum transfugam, exempla
anti-

antiqua sectati, ad Iesuitas remisissetis; quanto vobis vtilius? At nos (inquis) maiorem exercemus charitatē in proximum, quā tu autumas, nec de Papista exultauimus, nec de Iesuita; sed de peccatore pœnitentiam agente, cœlestem Hierosolymam imitati, gaudemus. Commodius nunc dicis; recepit Euangelij lucem neophytus frater. At ego non minus requiro hîc tuā sapientiam: non vides quis venerit ad vos? Si Lutheranus, quid erat quod tanto opere gauderetis? cur tot diebus fuit apud vos *ἡμετέριος*? Non fuit igitur Lutheranus; Catholicum non fuisse certū est. Quid igitur? imbiberat ille prius auidē Calvinianum lac; illud altè retinebat: nō potuit à Iesuitis reiectus, hærere apud Catholicos; non erant vicini Calviniani, ad quos se reciperet; fuit opportunum apud vos periclitari suas artes. Fui, inquit, Iesuita; (ita opinor recens te conuenit) Deus aperuit mihi aurem, mentem illustrauit; non potui ferre Papisticas idolomaniās; non iugū Iesuitarum: ad lucem confugio, qui hæctenus cæcus fui; ad fontem aquæ

B 3 viuæ,

viuæ , quem scio apud vos Christum aperuisse , per diuinæ memoriæ prophetam Martinum Lutherum : nihil de Calvinismo , nihil quod duos ferè annos Iesuitis imposuisset . Et vos stupidi omnia credidistis : adèò vos odium Iesuitarum obcæcat , atque mentem excantat : ale , fove serpente in sinu , nisi & tu clanculum Calvinianus es ; quod audio fuisse Philippum . Sed fingite fuisse Papistam , quod nõ fuit . Siccine ad lucem venit ? ad veritatem Euangelij ? vnde illa apud vos effulfit lux ? per quem ? atq; adèò quinam estis vos , qui Vulcanum in cornu conclusum geritis ? quando , & vnde venistis ? quid in nostro agitis , nõ nostri ? quo deniq; Luddere iure syluam nostram cædis ? qua licentia Philippe fontes nostros transuertis ? qua potestate Brenti limites nostros cõmoues ? Quinam estis vos ? nolo acerbius vrgere locum illum ; nam quò estis *δυσηνώτεροι* , eò maiori vos beneuolètia prosequor , & charitate amplector ; amo alioqui candorem & simplicitatem naturæ vestræ ; tũ nobilitatem ; vtinam illa bona ,
hæ-

hæresis non adulterasset. Sed qui estis? non ne Germani, quos ad fidem Christi, Legatus Apostolicæ sedis Bonifacius sub Gregorio 2. & 3. dein sub Zacharia, ex tetra idololatria adduxit? qui etiam pro Catholica fide, glorioso martyrio in Phrysia coronatus est. Nam hi si non estis, qui nam estis? Quod Evangelium? quas scripturas hic vobis tradidit? quam fidem? quæ dogmata? traditiones? ceremonias? statuta Ecclesiastica? nempe Romanæ Ecclesiæ, nempe Papatus. Quando hæc accepistis? post annum Christi 714. ad 751. id est triginta septem annis; tot enim annis Apostolus vester fuit Bonifacius. Quando obtinuit vester Elias? post Pathmon suam; etiamsi ante illud tempus desertor erat Ecclesiæ; tamen adhuc dubitabat, timebat, tergiuerfatur, pollicebatur, fingebat; scilicet non sat salis cum illo familiari suo ac necessario comederat. Ergo illud primum colligamus, 800 annis tenuit Germania plenum Papatum; diutius etiam non nullæ regiones; & in his Suevia. Illo tempore, non potestis

inficiari aliquos Martyres habuisse Germaniam, Sanctos viros, Sanctas virgines; fuisse facta miracula: & hæc quidem omnia, per eam fidem quam acceperant, quam nunc habet Papatus; per eandem doctrinam; per eadem Sacramenta. At non habuerunt illi, (quod soletis dicere) veram verbi Dei doctrinam; non iustificationis per fidem. Intelligo; hoc dicitis, quia non fuerunt Lutherani, propterea Martyres vel Sancti non fuerunt: non ne pudet? Verum rursus insurgitis, non fiebant illa miracula, non consequebantur illi homines salutem, per fidem Ecclesiæ Romanæ. Per quam igitur? nam aliam nullam habebant. In qua igitur fide mortui sunt illi Martyres, illi Sancti? in ea nimirum quam vos deseruistis; quam etiam appellant Principes vestri, veterem religionem, in Recessibus (vt loquimini) Imperij. Quod si ita est, vt est; cur illam fidem oppugnatis, in qua sanctos homines & Martyres mortuos esse, necessariò vobis fatendum est? Qua præterea temeritate audetis æternæ mortis pœna damnare ante Eliam
Luthe-

Lutherum , omnes Cæsares vestros?
omnes Principes ? omnes Episcopos?
Abbates ? monachos omnes ? omnes
omnium ordinum homines, qui octin-
gentis annis de hac vita decesserunt in
Germania, atque adeò in reliquo orbe
Christiano? Quis tantam immanitatè
ferat? illos omnes à vobis, reos capitis
peragi ; & promiscuè omnes infandis
tartari pœnis addici? Sed de quo tan-
dem scelere? quòd Lutherani non fue-
rint. Scilicet, non est aliud nomen da-
tum sub cælo, in quo oporteat omnes
homines saluos fieri, nisi per Euange-
lium Lutheri, quod vos identidem au-
getis, mutatis, castratis: & quum hoc fa-
citis, ille tamen vobis semper est Elias;
semper vir Dei. Illi igitur mortui sunt
in fide Papatus, Martyres veri, veri San-
cti. Nam si quis inter vos moreretur,
qui ad vltimum vsque spiritum tene-
ret fidem Romanæ Ecclesiæ, non ne
hunc diceres in fide Papatus mortuū?
At ita sunt omnes illi mortui. Quid
tu ? non existimas similiter illos fuisse
interrogatos, vel à suo spiritu, vel ab
astâtibus, atque Philippus vester agēs

animam, fuit? Optime Doctor Philippe in qua confessione fidei tu moreris? ut enim ille semper fuit anxia & incerta fide, ita necesse erat eius Academiam, & alumnos auditores illam responsionem expostulare, ne ut semper, ita post eius mortem, tota illa terra perpetuò tenebrosa & nigra, ut ipse fuerat, esset. In qua fidei confessione moreris doctissime magister? hic planè fuit quàm antea longè magis ambiguus, & incertus magis. Quid respondet? nō profitetur fidem Catholicam; ne secundum Martinum quidem; non confessionem suam cum apologia; nomen enim illud, Catholicam, sciebat Luthero displicuisse; huius item doctrinæ diffidebat, quam ipse ex animi conscientia immutauerat; ne scilicet tam tetri errores & cōtradictiones fidē causæ Lutheranae derogare possent. Qua in re fecit perniciosissimè; nam si illi libri ita extarent, ut monachus ille scripsit; id fat esse posset, ut multi à Lutheranismō deterrentur; multis desineret esse Lutherus Propheta. Non igitur est ausus fidem Catholicam profiteri;

fiteri; puduit eum Lutheranae. At cur non cōfiteatur Augustanam, cum Apologia saltem coniunctam? Nec in his habuit quicquam certi, quas sæpissimè immutauerat. Quid igitur? quid est professus? Volo (inquit) confessionem meam esse, Responiones de Bauaricis articulis. Scitis Witebergę editū publicè libellum, in quo cum hac confessione moritur Philippus. At vbi verbum Dei Philippe? quid tibi venit in mentem, vt responiones ad articulos Bauaricę inquisitionis tibi essent verbum Dei, & fides? nō ne illa sunt tua cōmentata? tua diffugia? Trepidans subinde, & accurras ad imaginarias iustificationes & consolationes *διὰ τὴν πίστιν τὴν μοναχὴν*; nec enim mirum, si pseudomonachus, monacham, id est solitariam, fidem pepererit: vbi verò vrgeris acrius, ibi ad asylum; non possumus probare idololatriam. At quæ nam illa est: quòd mortuos Sanctos adorent Papiſtæ, & panem. Tum ne verbum quidē respondes ad nonum articulum, vbi disertissimis verbis interrogaris, credas ne, post consecrationē adesse veram & viui-

viui-

viuificam carnem , verum & viuificū sanguinem, vnà cum præsentia Diuinitatis, verè, integrè, & substantialiter. Si credebas Luthero potius quàm Caluino, cur non confitebaris? Si non credebas, cur id quoque non audebas confiteri? vt planè mihi persuadeatur, mortuum esse Calvinianum Meláchthonem; quod non tacuerunt Protocolliſtæ diſputatores. Dubitas de ſanctorū inuocatione, quum fateris, te nescire diluere locum Geneſeos , vbi inuocat Iacob Angelū; deterruit te *הָאֱלֹהִים הִנְיָהוּ* vt omittam alia, quæ colligi ex Bauaricis reſponſionibus poſſunt. Longè Lutheranius mortuus eſt Martinus, vel ſi

*In historia de
vita & actis
Lutheri.*

velis Phariſaicè magis. Mi Pater cæleſtis (dixit) qui Deus es, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, auctor omnis ſolatiij; ago tibi gratias, quòd mihi dilectū filium tuum Ieſum Chriſtum reuelati; in quem cōfido, quem etiam prædicaui, atque cōfeſſus ſum; quem amore & laude proſequutus ſum; quem eundem turpiſſimus Papa, & impij omnes contumelia afficiunt , perſequuntur, ac blaſphemant : certus ſum, me tecū

in.

in æternum mansurū esse ; nec è tuis manibus à quoquam eripi posse. Sic Luther moribundus. Hæc quum ita sint, tamen ille est Philippus vestræ confessionis & fidei & auctor & propugnator. Redeo vnde eram digressus : Non ne putas, melius testatos esse suam fidem morientes, tot hominum Catholicorū myriades, quot vitam cum morte commutarunt in Germania annis octingentis? non ne doctrinam quam acceperant? in qua vixerant? nō ne Missam? non ne Ecclesiæ Romanæ Primatum, quem Satan ferre non potest? Qui igitur estis vos? profelyti non estis Ecclesiæ Romanæ: qui nam tandem estis? vnde prodijstis? cuius estis catechumeni? Si non Ecclesiæ Romanæ, cuius tandem? Non sumus (inquis) Babylonis: non sumus Antichristi. Nollem vos esse tam vehementes, ne quis fortasse barbaros dicat, si nihil aliud. Nam dū ita dicitis, omnes Christiani orbis Monarchas, omnes Principes, qui sequuntur veterem atque orthodoxam religionem, eodem luto aspergitis; qui illā Urbem, illam Sedem, illum Pōtificem suspi-

suspi-

suspiciunt ac venerantur : & hos non huius seculi solum , sed omnium seculorum Ecclesiæ , præter paucos hæreticos , vel Schismaticos . Cur hos potius imitamini quàm illos ? Saltem ne quorum sequimini exemplum , in eorum incidatis calamitates . Scitis quid schismaticis , quid hæreticis , omnibus ætatibus acciderit ; ego tamen meliora & viciniora saluti de vobis confido , tametsi ita loquor . Abijcietis tandem timidum illum pudorem , quæ scio multos Germanos retardare à resipiscentia . Sed tamen cur Babylon ? cur Antichristus ? quia non docet quod vos ? quid igitur vos docetis ? purum , putum (inquis) verbum Dei : quid præterea ? nihil . Agite , ingenuè respondete , hoc est , Germanicè ; concedite apertè ; Num literam solum profitemini ? Non opinor : sed sensum ; sed spiritum Euangelij Iesu Christi ; vos profiteri creditis . Istum quæso sensum , istum spiritum vnde haufistis ? A Deo : per quem ? per Prophetam Germanicum . Igitur Lutheri vos consternationes , errores , violentias facitis Euangelium , verbum Dei purum

rum putum; immo purè putidum; nec aliud quicquam habetis, quod possitis opponere omnium seculorum Martyribus, Confessoribus, Sanctis Doctorebus. At ille fuit Propheta, illi Deus reuelauit filium suum. quis dicit: Lutherus: quis est hic, vt dispiciamus an fidè mereatur? Mihi non est otium Lutherum describendi, sed tamen attingam aliquid simplicissimè. Primùm, hic fuit monachus quoad vixit; quis enim illum à monachismo liberauit? Abiecit quidem cucullum; itaque non fuit postea monachus cucullatus: fateor; sed excucullatus. Dein vota Deo sanctè nuncupauit; paupertatis, castitatis, obedientiæ. At illa erant impossibilia & stulta; non disputo; nūc narro tantum. Itaque pauper fuit ex statu vitæ, castus, obediens suis præpositis. Dein duxit (vt vos loquimini) vxorè, item monacham; fuit opulentus: omnem obedientiam proiecit, non solum suorum præfectorum, sed Summi Pontificis, & Ecclesiæ totius. Alia omittam, quæ alij prosequuntur; qualis eius vita fuerit, qualis lingua, stylus, quæ animosi

mositas, terribilitas, quanta inconstantia, quantorum malorum causa fuerit; alia innumerabilia omitto: vnum tantum percurram, quod vos negare non potestis: Non ne in ingentibus scriptorum eius voluminibus, de hoc vestro Elia memoriae prodidistis, quod cum disputaret contra Dæmonem, pro Missa retinenda, illius superatus argumētis, persuasus sit, Missam esse abrogandam? Itaque legem tulit verbis atrocissimis, auctore Dæmone, quæ est de abroganda Missa; quæ lex est apud vos sacrosancta. Amplius nihil addo, hoc si non abrogat omnem fidem vestro Prophetæ, quid quæso vlli homini derogare potest? Et quid mirum, si Luther tanta confidentia sit vsus, in suis placitis prædicandis; qui ausus sit, Dæmone imperante, illam legem promulgare; & obtinuerit? Sed de Luthero hæctenus; nã satis alioqui vos illum quotidie describitis; qui identidem illum damnatis hæreseos; cum eius dogmata conuellit, atque alia nihilo meliora ingeritis: ne pudeat hoc confiteri, nihil enim est verius. At qui ad nos (inquis) etiam verbum

*Lib. de Missa
angulari.*

bum Dei est factum : non erubescis?
nam hoc nisi negato Luthero dicere
non potestis: quòd si illum negatis, de-
ferent vos Principes; perijstis Doctores
omnes Lutherani. At verbum Dei est
apertum ijs, qui spiritum Dei habent,
quem habemus nos. Sed hæc petitio
principij est, imperita quidem & fœda;
nobis est verbum Dei apertum, nã ha-
bemus spiritum Dei: hoc tibi fuit pro-
bandum, habere vos spiritum Dei. At
nobiscum faciunt Patres, quod demõ-
strant nostri Centuriones. Etiam dum
illam farraginem iactatis? ego quidem
vos acutos homines hætenus putave-
ram, & callidos; sed in his centurijs, pla-
nè vestram proditis imprudẽtiam. Nã
quid agitis miseri? foueam effoditis,
in quam incidatis; tenditis laqueum,
quo cõstringamini. Esto (inquiunt ve-
stri Centuriones) nam vestros cur nã
dicam, cum leges centuriatas, adorare
Cõfessionistas omnes intelligam; tam-
etsi fortassis earum autores nõ probẽt?
Esto (inquiunt) prima Centuria basis &
fundamentum, certa item norma, vt
reliquorum seculorum dogmata sem-
per ad eam exigì & explorari in singu-
C lis

lis pūctis queant; & liquidò cognosci, quid quisque Doctor, aut scriptor de fundamento ipso, nimirum de doctrina Christi retinuerit; in quibus ab eo discesserit; aliena, peregrinaq; , vel de suo adiecerit, vel ab alijs architectis novarum opinionum temere arripuerit: id enim absque hac quasi regula veritatis, quam nos sequuti sumus; rectè & utiliter fieri nequaquam potest. Sic Quadrumviri, in præfatione secundi libri primæ Centuriæ. Quid autè agūt in prima Centuria? Confirmant ex novi testamenti literis suas hæreses: quo iudice? quo expositore? Luthero, & Cæturionibus: quis illos docuit? nullus, præter *κακοδαίμονα*: hac igitur trutina, hoc est, Lutheranismò, & contaminata Evangelij interpretatione examinant iniquissimi homines, in omnibus Centurijs, omnes omniū Sanctorum Patrum, omniū Scriptorum doctrinā, ac diiudicant. Et vide quàm sit horum hominum insolens impudentia, è vestigio, Secunda Centuria, audent exigere à Sanctis hominibus illius seculi, doctrinam Lutheri de libero arbitrio; de iustificatione; de operibus; & sanctissimi-
mos

mos viros fugillare, quòd nò senserint, vt erat furiata mente Lutherus Euangelium post mille quadringentos annos corrupturus. In reliquis seculis similiter faciunt. Atq; aded ex sacris Doctoribus, si quid dixerunt, quod possint corrumpere; id pro se interpretantur: quibus apertè ac disertè contra eorum hèreses docent, vt semper faciunt; ea damnant: deprauatum clamant seculum; declinationem esse doctrinæ Ecclesiasticæ; Antichristi Papalis tyrannidem. Hoccinè dicitis ô Centuriones esse verbum Dei? & tanquam fundamentum ac basim supponitis vestrà còfarcinatam hèresibus Lutheranis Centuriam? nò eritis (opinor) tà impudentes, etiamsi hæretici frontem non habeant, vt illud, verbū Dei esse dicatis: quod si dicatis, ibi verò ego vos de idolatria accusabo, quòd pro verbo Dei, vestra adoretis phatasmata; & omnibus mortalibus adoranda proponatis: tū tyrannidos infinitæ reos postulabo; quòd qui nò curuarit genua ante statuas vestras, eū aterna morte multetis. At (reclamabitis) Lutherus constantissimè còfirmat, se à Deo esse edoctum; nihil

se nisi ipsissimum verbum Dei, vel sequutum esse, vel docuisse. Non ne idē dixit Ebion, Valentinus, Marcion, Manes, Montanus, Sabellius, Nouatus, Arius, Macedonius, Aërius, Iouinianus, Donatus, Vigilantius, Nestorius, Eutyches, Macharius, Monothelita, Anastasius Iconoclastes, Witeleph, Valdo, Hus? In quo catalogo, scio vos multos fratres agnoscere. Quid hi? quem admodum suas hæreses defenderunt? ex verbo scilicet Dei, iactabāt: quo interpretē? ipsis: quo enim pacto defenderis, magis esse credendum Luthero quàm istis? atque ad eò comparandus non est multis ex illo grege Islebiensis Propheta; siue doctrinam spectes, siue vitæ effectam saltem moderationem, siue gratiam, quam collegerunt inter homines; siue multitudinem sequacium. Igitur omnibus hæresiarchis credendum est, vel tuo Eliæ non est. Pugnat orbis Christianus, pugnat Ecclesia contra illos, quæ à Christo & Apostolis vsq; perseverabat in vniuerso orbe, sub vnitæ Capitis vnius, Petri successoris. At illi contrà insaniebant, clamabant, se habere spiritum Dei: quid

quid tum? damnati sunt; & ab Ecclesia Dei viuentis proiecti atq; exterminati sunt. Non ne agnoscitis, similiter Lutherum fecisse, & vobis, vt idem faceretis auctorem fuisse? num illi propterea hæretici nõ fuerunt, quòd se spiritum Dei habere vociferabantur? Desinite homines miserabiles, desinite, agnoscite vestros Maiores, vestros Doctores, qui vos octingentos annos aluerunt, ac docuerunt. Ostendi qui nam estis, non esse Germanos *γνησίως*; non veteres Christianos, sed heri natos; quos genuit Lutherus: hunc vos præfertis omnibus Martyribus, Episcopis, Sanctis omnibus, Cæsaribus, Principibus, omni Ecclesiæ Germaniæ octingentorum atq; ad eò Ecclesiæ annorum omnium. Verum, clamabitis, tota Germania nos sequitur: illa est vsitata Sectariorum tergiversatio, si habet paucos asseclas, musitant, noli timere pusillus grex; si plurimos, in omnem terram exiuit sonus noster. Magna est multitudo Lutheranorum; maior fuit idololatrarum, etiam post Christum; maior fuit Ariatorum; maior Mahometanorum. Dixi qui nam estis: vnde etiam illud constat;

vnde veneritis; per quem lucem quam effingitis, acceperitis. Verum rursus paucis exponam, vnde veneritis; ut nihil aliud postea, quam compendio depingam vestram lucem, & finem huic velitationi imponam. Vnde igitur venistis? quis vos misit? quis mittit, vel vocat ministros ac Superintendentes vestros? Nihil est quod ad Principes, vel Magistratus, vel ad vestram ecclesiam confugiatis; ante quam Principes, antequam Magistratus mitterent aliquem, vel vocaret; ante ecclesiam Lutheranam natam, necessum est confiteamini, Lutherum fuisse missum. A quo? Ita rem contemplemur; nihil erat Lutheranismi in orbe, quum Martinus illum primus inuexit, vel de sua horribili natura, vel extimulatus a nonnullis, vel propter eius inuidiam & auaritiam, vel ob Dominicanorum odium, vel ob alias causas; nihil refert, modò principium illud fuerit complexa superbia; vnde tandem exoritur, & vires sumit omnis heresis. Quum primum igitur incepit esse Propheta Germanicus, quis illum misit? Verbum Domini (opinor) factum est super Martinum filium Ioannis Lud-

Ludderi Wittebergæ in Aquilone, dicens: Abijce cucullum; abnega vota tua, cõculca omnem auctoritatem Ecclesiæ, Conciliorum, Doctorũ omnium; accipe vxorem monacham; euerte sacramenta, sanctas traditiones; extollere supra omne quod dicitur sanctũ in terra; cõuelle, eradica, peruerte omnẽ pietatem, quæ hætenus obtinuit in Ecclesia. Num hic est Domini spiritus; nõ hic Propheta, & non potius Antichristus? At Christus illi hæc imperauit; qui perierat, & inuentus est; mortuus erat, & suscitatus est per Lutherum. Vnius ne hominis vocibus tam horridis, vt credant homines; & ipsum missum esse à Deo, sibi persuadeant? id vos obtinebitis? Lutherus monachorum contentione laceffitus, & suæ naturæ vehementia, quod vos confitemini, pertractus, omnia sacra vastans, atque euertens, prædicat ipse seipsum Prophetam, & vos creditis? O ingentem calamitatem, ô miseriam infinitam! Vnam particulã fidei si quis mutaret; illi anathema diceremus, etiam si Angelus de cælo esset, quod tamen esse non potest. Sed Paulus venturos hæ-

reticos præuidebat ; qui se Prophe-
 tas, se Angelos è cælo missos, prædica-
 rent. Illum igitur execraremur ; ana-
 themate feriremus *ἀποτόμως*; quia ali-
 ter prædicaret, quàm acceptum in Ec-
 clesia esset, hoc est, quàm in Ecclesia
 traditum. Nam, id est apud Paulum,
τὸ παρ' ὃ παρελάβετε : id est, præter id
 quod per manus traditum accepistis:
 nec aliud requirit Paulus, statim præci-
 pit exterminandum, si aliter doceat.
 Nam si quis aliter quidem nõ doceat;
 sed inuisibiliter tamen, siue extra ordi-
 nem missum se esse dicat à Deo ad
 prædicandum; de eo sapientissimè illud
 cautum est; non sat esse, si se is asserat
 missum à Deo; id enim omnes omniũ
 seculorum hæretici vociferantur; sed
 illam inuisibilem atque extraordina-
 riam missionem, necessum esse, confir-
 met, vel vt Moses miraculo, vel vt Ioã-
 nes Baptista peculiari scripturæ testi-
 monio. Quæ enim extra ordinẽ fiunt,
 ea cum ordine nullam fidem mereri
 possint; necessum est vt extra ordinem
 confirmentur. Nec leuibus hic proba-
 tionibus confidere licet, sed summis
 oportet. Ab ijs igitur sunt exigenda
 mira-

miracula, vel locus scripturæ ad ipsos propriè relatus requirendus, qui nihil aliud quàm suam missionem extraordinariam probare debeant. Illi verò qui præter id quod accepimus, prædicant; qui non Catholica, qui nõ Catholicè, qui noua intrudunt; etsi dicant se Angelos, Prophetas, voces clamantes in Aquilone; aut miracula plura quàm est Antichristus facturus, designent; è vestigio sunt à nobis extrudendi, atque execrandi. Hæc cum ita sint; quanta tamen esset vestra exultatio, quãtus triũphus; si vester Elias aliquod miraculum attulisset; quod tamen non fecit, ne effectum quidem à vobis. Multa sunt scilicet, quæ vobis non permittit Deus, etsi infinitis artibus abundetis; alioqui vt tam multa effinxistis; minimi erat negotij effecta miracula, Luthero arrogare, quæ permagnum habitura essent momentum, ad candorem & simplicitatem Germanicam illudendam. Et tamen si miraculum aliquod audebitis proferre; id miraculum faciet, vt vos eo miraculo credamus Antichristum imitari. Verùm non estis tam amici Dæmonis; vt pro vobis ille mendacia si qua

facere velit , nec adeò deplorati ; vt
illud permittat Deus . At scriptu-
ram possumus (inquis) adducere pro
Luthero : intelligo ; quæ faciat illum
Prophetam Eliam ; nihil pulchrius . Ita
Montanus nunc Propheta est , nunc
Paraclerus , Noëtus , Moscs ; Alij An-
gelici ; Alij Apostolici : Manes & Pa-
raclerus spiritus , & Apostolus . Me-
mini ego videre me Catholicos qui-
dem homines , qui se dicerent ; vnus,
Deum Patrem , alius Deum filiũ ; alius
vitream phialam ; illos scilicet abhor-
ruit semper Ecclesia ; hos ciuitas benè
cõstituta , vinculis constringit . Clame-
tis quantum libeat , esse Lutherum à
Deo missum ; nũquam audiemus , nun-
quam credemus ; semper cum Ecclesia
hierarchica *ἀνάθεμα* illi dicemus , qui
afferat aliam doctrinam , præter illam
quam ab ea accepimus . Sed hæc hæc-
tenus : Ad locum venio , de vestra luce,
quam bonus frater adeptus est ; quem
locũ tamen hoc tẽpore plene tractare
non possum ; cùm sit amplissimus : &
me offenderit tota hæc meditatio , ne-
cessarijs alijs negotijs non mediocriter
distentum . Quare attingam pauca re-
rum

rum capita dumtaxat. Recepit lucem
 Euangelij fraterculus ; omitto supe-
 riora repetere , vel ornare : prater eo
 errorem vestrum , qui putatis lucem
 Lutheranam illum accepisse , qui ta-
 men æquè Calvinianus est apud vos,
 atque apud Iesuitas fuit . Scitis quàm
 sint pertinaces Calviniani ; nisi fortè
 nunc primum Calvini spiritus à spiri-
 tu Lutheri superatus est ; quod non
 solet . Sed fac , ex Catholico , Iesui-
 ta, Calviniano factum esse Confessio-
 nistam : & vestræ Confessionis recepisse
 sarram rectam lucem . Age , qua lu-
 ce illuminati sunt oculi fratris neo-
 phyti ? quis illam lucernam accen-
 dit ? vnde simul constet , qualis sit lux .
 Dices , Martinus illam accendit lu-
 cem . Sed posuit eam sub lecto suo :
 nimirum in suis latebris , in sua idea,
 quæ per solam fidem cognoscitur . Nā
 quòd excusatis illum Lutheri errorè,
 non fingere vos Ecclesiam , quæ sit idea
 Platonica ; nec velle Deum doctrinam
 suam esse arcana Eleusina ; affirmatis
 autè visibiles cœtus vestros esse Eccle-
 siam Dei ; additis appositè vestros , id est,
 qui ab Ecclesia Catholica sunt separati,
 qui

*Luther cōtra
 Catharinū.
 Philippus in
 Bavariis.*

qui sola fide vestra constant; viuunt, percipiuntur : sed subditis, qui habent testimonium Spiritus sancti in confessione & supplicijs; vbi planè sunt visibiles. Quid dicitis ô boni? nõne maiora huiusmodi testimonia habent Anabaptistæ, & alij quàm plurimi, qui vobis etiã sunt hæretici? vt planè confiteri necessum sit, quod dicit Augustinus; non facit poena Martyrem, sed causa. At, dicitis; nos verò cœtus visibiles ostentamus; (intelligo; per supplicia) non vt pompa est Pontificia, sed distinctos ab ordinaria potestate. Quid hinc conficitis? illud, videlicet; vt vestræ Ecclesiæ ex ijs conflata sint, & consent; in quos ob hæresim ab ordinaria & legitima potestate, omnibus ætatibus animaduersum est. En vestram excusationem; facilius vobis erat, planè in doctrina Lutheri perseuerare; & inuisibilem Ecclesiam defendere. Et hic audi (queso) meam obseruationem; vbi vos pudet alicuius horridioris opinionis Martini, sic enim appellat Philippus; quum dicit: nec miscuerat aliquid opinionũ horridiorum Lutherus; initio scilicet sui Apostolatus; vbi inquam vos tædet alicuius

In Hist. de vita & actis Martini.

alicuius horriditatis, vbi nullum lapidem non mouetis, quo illum horrorem leniatis, vel effugiatis; verum tandem eò reciditis, vt intelligat orbis, vos spiritum quidem Lutheri, & doctrinam retinere mordicus, non audere tamen omnia illius placita profiteri, vel defendere nescire: sed coloribus, excusationibus, moderationibus vestire; quæ vestra fuit ars in Augustana confessione. Neq; enim aliter Propheta vester permisisset dogmata quædam sua ibi mutari, qui non longè tunc à vobis aberat. Substiterat enim (vt vestra habet historia) Coburgi, ad Fræconia fines, mandatu Principis; vt tanto vicinior esset Augustæ, si qua fortè res eius auxilium postularet; nam timebatur ne sua asperitate omnia perturbaret. Cõfidentior semper fuit, vel si malis præfractior, Lutherus; Lutheranior etiã quàm vos Illyricus, cum suis; apertè enim vult & esse & videri Lutheranus; nihil moderationis vel fuci, ad puram Lutheri lucem, admittit τὰ ἀδιάφορα μακρὰν ἔξοπίσθεν ἔς πρόσωπον. Sed te ego non existimo esse θεατύδειλον; quod si es mollis Confessionista, ἢ ἐπιφύσις, quod opinor te esse;

7. lib. Epist. Slaydani.

te esse; nescio tamen num illam, horridiores Lutheri sententias vestiendi industriam, de qua modò dicebam, secteris. An verò illud, quod quidam in vestris castris faciunt, qui vbi pondere argumentorù premuntur, cedunt inuiti; mutant placita : & modò aliqua retineant cōtra Ecclesiam Catholicā, præclare secū actum esse existimant, quod cum faciunt; nō erubescunt tamen, se clamitare Catholicos; se lucem Evangelij tenere; quod planè non possunt. Nam si fides Catholica vna est; vt necessariò est; si quis partem retinet dumtaxat; hæreticus certè erit. Et hoc vide, sunt apud vos, qui vel ad Lutheri, vel ad suæ inconstantiaē defensionem, illud adducere solent; crescere lucem sapientiaē, esse quidem prius principia iacta; sed lucem illam indies *αὐξαν* accipere. Quid audio? An credunt homines ridiculi, se stipitibus loqui? De Lutheo igitur primùm agamus; & contemplemur; An quum docere cœpit contra Papatum sua dogmata, habuerit lumen Propheticum, & verbum Dei in ore; an non habuerit? Si habuit; rogo, an
illud

illud immutauerit postea? Si immu-
tauit; & contrarium docuit, vt do-
cuit (quod vos negare non audetis,
& scriptores Catholici non semel de-
monstrauerunt) iam ante illud tem-
pus, nec lucem habuit, nec Prophe-
ta fuit, atque adeò hæreticus suo e-
tiam iudicio eo tempore fuit; vt qui
hæretica dogmata crediderit cõfirma-
te: si illa fuerunt Catholica, iam post
illud tempus, est factus hæreticus. Di-
ces (opinor) tandem exiit omnem do-
ctrinæ impuritatem, & euasit verus Pro-
pheta. Non igitur creuit lux; neq; lux
fuit antea, sed tenebræ; verum age, mu-
tentur istæ tenebræ subinde in alias,
quando (obsecro te) factæ sunt Prophe-
tica lux? nunquam scilicet. Etenim no-
uatorius spiritus hoc habet natura cõ-
iunctum, vt nunquam non nouare ge-
stiat, ac mutare. Desierit sanè fidem
mutare. Primum quis vnquam tantæ
incõstantiæ credat: tantæ fidei vertigi-
ni cõfidat? Dein, quorsum tandè eua-
sit? si euasit, ad id videlicet, quod fuit
arbitratus se posse facilius contra Ec-
clesiam propugnare, id est, in tene-
bras penitiores & confidentiores.

Quod

Quod si nihil profus mutauit eorum
que cōtra Ecclesiam docuit vnquam,
& dogmata fidei esse prædicabat, cum
ea mutata esse compertum sit, interro-
go quisnam mutauerit? Si vos iam faci-
tis Lutherum, quod ipse se fecisset, si
mutasset, quo fit vt Propheta vobis ef-
se non possit. tandem si nihil mutastis,
estis omnes Illyricani, ac velitis, nolitis,
vobis confitendum est, M. Flac. Illyri-
cum vestrum esse omnium in fide post
mortuum Martinum Imperatorem;
qui solus ausus sit propugnare illud pa-
radoxum, & euicerit, purum Euange-
lium Martini esse retinendum, nihil
detrahendum, nihil addendum; quod
nō dubito quin facturi nunquam sitis,
vt estis honesti homines, ne cogamini
peruersi capitis rabulæ, quem vos vt se-
ditiosum ac pestilentem, in exiliū iam
olim extrusistis, seruire. Iam videtis lu-
cem, nec in Martino, nec in vobis, vel
fuisse, vel creuisse. Dicetis, euasimus
nos tandem in Augustanā Confessio-
nem; ibi est finis nostrarum mutatio-
num, ibi lux quæ antea non fuit. Iacta-
tis ergo Augustanam: in qua Confes-
sione, si quis ad eam propius accedat,
deus

Deus bone, quantam videat tergiuersionem Lutheri, certè Philippi & assessorú! Nihil aliud tota Confessione agunt, quàm vt, quæ videbantur fore minus horrida, ea dūtaxat apertè profiteantur, cæteris vel fucatis, vel dissimulatis, vel prætermiſſis; deniq; eò rem deducūt vt videantur aliquid remiſiſſe de ſuis dogmatis, retineant tamen verſutè integrum Lutheraniſmum. At Principum animus erat generoſus ac candidus; nihil credebant eſſe fucatu, ſed plana, atque aperta omnia. nō ita fuit, Principes excellentiſſimi, nō fuit, naſum cereum conſinxerunt veſtræ fidei auctores, quo veſtro natiuo candori illuderent ioculariter, imò verò peſtilenter. Neque verò aliud per Confessionem illam aſſequi contenderunt, quàm vt periculú quod à Cæſare metuebant, euaderent: vt Principum animo ſatiſfacerent, vel illuderent: Martinum ne offenderent: haberent denique paratum cooperculú, quo grauioreſ ſuos, quos corde claudebant errores obtegerent; vallum item & foſſam vnde quicquid vel mutare, vel addere vellent propugnarent. Et hoc quidem

D cum

cum alijs plurimis argumentis, tum il-
linc verum esse constat; nam cum tot
sint sectæ in Germania, tamen omnes
illius Cõfessionis nomine se protegunt,
vt pallium vnum dicas verè omnium
esse, Augustanam cõfessionẽ; quo etiã
Caluianus furor se regit, imò arrogat
sibi puram Augustanæ Cõfessionis in-
telligentiam. Germanos habere negat.
Porro autem, tam variè est hæc cõfessio
aucta, & immutata; vt sint permulti in
Germania, qui vbi seriò volunt Cõfes-
sionari, nulli planè credunt exemplari
vulgato, sed mittunt ad ἀρχέτυπον; qua
in re ostendunt nescire, quid credant,
vel ipsi, vel Germania. Sed ad lucem
vestram redeamus. ecquid? Videtis
qualem lucem habeatis, quàm occul-
tam, quàm variam, quàm incõstantẽ,
quàm dissectã, quàm à vobis etiã ipsis
confutatam? quo fit, vt nec bona, nec
vna sit, quare nec lux est, ac simpliciter
non est. Sed videamus rursus; que-
nam sit ista lux, quam cõmunicastis fra-
tri. Nempe ea, quæ per solam fidẽ, per
solam imputationẽ iustitiæ, lucet. Quã
ego vocem saepe demiratus sum, vos
post Augustanam Confessionem reti-
nuisse,

nuisse, quum ea planè in Confessione
nò legatur. Cur additis verbo Dei? An
non habetis pro verbo Dei, quam fidei
professionem edidistis, ac profitemini?
Verùm, quid de vna vocula addita, ve-
stro symbolo Augustano, vos appello;
quum toties illud immutaueritis, quò
subinde etià sacris literis addideritis, &
eam ipsam de qua agimus voculà Pau-
lo. Sed ego in hac mutatione alias om-
nes infector. Cur ergo additis ad fidè,
ad verbū Dei? Ex traditione, solam, ac-
cepimus dicetis. Atqui, nò est in verbo
Dei Augustano. Ita tamen est inter-
pretandum illud verbum Dei, illa fi-
des, ex alijs scripturæ locis. Vnde quæ-
so habetis illam interpretationem? ex
Lutheri traditione, & doctrina Ec-
clesiarum: sic enim soletis vestros cœ-
tus Ecclesias appellare, quòd vnita-
tem non agnoscatis, vt non habetis.
Cur igitur tam estis nobis iniqui, qui
traditiones diuinas tenemus ac defen-
dimus; & primariam illam ac præcla-
rissimam, qua veram scripturarum in-
telligentiam semper & tenuit, & te-
nebit Ecclesia Hierarchica? Cur hæc
in nobis improbatis; quum vos ad

traditionem Lutheri, & Ecclesiarum, quarum ille fuit Apostolus & Pater, accurratis? Citatis tamen semel in Confessione ex Ambrosio, solam fidem, sed non est illa vestra confessio, citatis tamen; scio. Vtinam vobis hoc concederet Deus; vt velletis ex sententia Ambrosij hanc vocem interpretari, & non ex vestra traditione, ad quam, cum sit vobis verbum Dei, non requiritis Ambrosij, vel aliorum Patrum suppetias; accepistis enim, quem tradidit vobis Martinus, illum clarum & apertum sensum, vnde sacras literas interpretemini; auctoritatem vero humanam omnem non solum sanctorum; sed Conciliorum etiam contemnitis: sed cur contemnitis? propterea scilicet (vt coram Carolo Quinto professus est Luther) quod constet vobis, & illos, & Concilia errasse sepius, & sibi ipsis contradixisse. Eodem argumento te vrgeo, Luther, ne credas tibi, quia sepius errasti, & tibi contradixisti. Vrgeo simul & vos eodem, ne Lutheri, ne preceptoribus vestris credatis. Scitis ac profiteamini sepius illum errasse, toties sibi contradixisse; idem de vestris preceptoribus necessario cognosci-

gnoskitis. Adducitis ergo veteres Doctores, non quòd illis credatis, sed vt fucum faciatis; & deprauatis eorum locis, credamini nouatores non esse; sed antiqua Patrù placita illustrare. Nam vt alia loca Doctorum detorta, ac deprauata præteream hoc tempore, ad Ambrosium redeo. Illum ne audetis pro sola fide, iuxta vestram interpretationem adducere? quum apertissimè illo nomine Ambrosius veteris dumtaxat legis opera vbiq; excludat? quod plane compettum est, vbi in cap. 3. epistolæ ad Rom. Apertum est (inquit) quia iustitia Dei sine lege apparuit, sed sine lege Sabbati, & Circumcisionis, & Neomeniæ, & vindictæ; non tamen sine sacramento Diuinitatis Dei, &c. Præterea in 9, cap. eiusdem epistolæ, conuenit, vt in solo nomine conditoris consequatur salutem creatura; hoc est per fidē, quia sublati omnibus Neomenijs, & Sabbato, & Circumcisione, & lege escharum, & oblationibus pecorū, sola fides posita est ad salutē. Rursum in 4. cap. Quomodo ergo Iudæi per opera legis iustificari se putant, iustificatione Abrahæ, cum videant Abrahā

D 3 non

nō ex operibus legis, sed sola fide iustificatū? Iam ne videtis solam fidē Ambrosij, alia quā ludaica opera nō excludere? Sed lege rursus quānam sit illa fides Ambrosij, paulo post illum locū, quem iactatis in Confessione. Quis enim (inquit) ambigat de promissis, & fide Dei? quia non erit aliter quā dixit, filios eos adoptatos, sibi credentes in Christum: hoc enim nobis donat quod credimus. vt quia credimus Christum filium Dei esse, hoc nos esse incipiamus, mansuri in eadem dignitate, sicut manet Christus, quem credimus filium Dei. Aperite hic aures, non est ergo fides Ambrosij, vestra illa correlatiua ad promissionem, sed alius actus fidei. Hæc cum ita sint, tamen si quando veteres Ecclesiæ Patres alia opera, à prima iustificatione excludere videntur; id eò faciunt planè, quòd nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur. Desinite ergo iactare Ambrosium vel sacros Doctores, de solitaria vestra fide. Sed ego institutæ breuitatis oblitus, ad iustam propemodū disputationem excurro.

Col-

Colligo me: & ad finē propero. Qualē tandem lucem, qualem fidem fratri cōmunicastis? eam quæ sola iustificat; id est, quæ vobis præstat, vt tanquam inanimata quædā, nihil omnino agentes, sed merè passivè vos habētes, absq; vlla videlicet liberi arbitrij, vel voluntatis cooperatione iustificemini, & vt absq; iustitia iusti sitis; & cū iniustitia iusti, & post iustificationē vestrā adhuc iniusti: quæ vt vitā æternā nō habeatis in vobis manentē, facit, atq; ad eò vt ad Christū venire nolitis, vt vitā habeatis; q; explicat Christus ipse de charitate: Sed cognoui (inquit) quod dilectionē Dei nō habetis in vobis: Itaq; longè à Christo disceditis, per solā imputationē vestrā. hæc est vestra fides exclusiua, quæ efficit vt vos à Christo excludamini; & nō vivatis in Christo; qui enim vivit in Christo, is operatur in Christo, per Christū, cū Christo. At vos nullū opus habetis vitæ; nullū meritū in Christo; quare in Christo non vivitis. Hæc est præclara illa vestra lux, quæ nec sacerdotem videt vllum, in vestris Ecclesijs, nec sacrificium. Itaque plerumque adducor in eum animi sensum, vt videar videre

in foribus verum Antichristū: quum enim illa duo signa, sint insignia Antichristi aduentus, discessio, & ablatio iugis sacrificij; vtrumque vos representatis; nam discessistis prorsus à Sūmi Pontificis, & Ecclesiæ Christi obedientia; & si auderetis, quod audēt Calviniani, iam olim à Principum auctoritate deficeretis; sed metus periculi, vos in officio (opinor) continet. Sacrificium verò iuge, incruentum, sacrosanctū, ac propitiatorium apud vos abrogastis, quod vaticinatur Daniel ad tempora Antichristi auferendū. Qualis, obsecro, vestra ista lux esse potest, quam sibi quisque pro sui cerebri intēperie effingit? Neque verò hoc mirum est; singuli enim contempta veræ Ecclesiæ auctoritate, accipitis spiritum Dei vestri: hinc fit, vt sit planè in rebus spiritualibus apud vos ἀναρχία, sed vos Aristocratiā, iactabitis. Scio; sed illa faciet; vt Principem vnum non habeatis; quem voluit tamen Christus Ecclesiæ suæ præesse: & ne illam quidem effectam aristocratiam tenere potestis, qui tam estis inter vos in religione dissecti. Itaque illud est quod dicebam, singuli apud

D 5 vos

vos suo sensui, suæ fidei, obediunt : nõ
vestræ aristocratix, in quem scopulum
necessariò impingüt. Nam quum sin-
guli vnice querät mentis proprias con-
solationes, per solam fidem ; Damoni
viam aperiunt, vt suas illusiones eis in-
gerat pro arbitratu; vt planè eos videas
per solá illá fidem suá, cum nihil coo-
perantur spiritui Sancto, sese Satanæ
exponere decipiendos. Ad hæc, lux il-
la vnde vobis lucet? ex scripturis (dice-
tis) ex verbo Dei. Quis igitur iudex e-
rit vel inter vos ipsos, tã variè dissiden-
tes, vel inter omnes sectarios, & veteris
atque Catholicæ religionis propugna-
tores? Scriptura, clamatis fortiter. Non
hoc dico: sed vbi de scripturæ intelli-
gentia constituitur quæstio, quis erit
iudex; cuius iudicio erit, cuius inter-
pretationi, acquiescendum? contrarij
enim sensus eiusdem scripturæ addu-
cuntur. Quid respondetis? Concilium
œcumenicum? At iam est celebratũ:
conclusum: confirmatum: promulga-
tum. At nos prouocauimus (dicetis)
planissimè ad aliud: Intelligo; similiter
omnes quotquot à Concilijs, illis etiã
quæ vos recipitis, fuerunt condemna-

D 5 ti,

ti, prouocauerunt. Num propterea nõ fuerunt illa sacrosancta Concilia? Verum nostre rationes, quas adducimus (addetis) sunt cõspicuæ, atq; euidetes. De illis rationibus nõ est locus disputandi; hoc solú dicam, nullú fuisse omnibus æratibus, qui se Cõciliorú auctoritati opposuerit, quin eidẽ fuerint sue rationes, & clarissime, & valētissime. Et tamen attētius absq; præiudicio vestre opinionis, rem expendite: & fingite vestrú illud Cõciliú cõgregari, vt vos depingitis; quod tamen cõgregari legitime non potest: eò rem tandem venire necessum est, vt plures Catholici ad Cõciliú cõueniant, quàm ex vestrís: Illorú igitur nũc recipiatis sententiam, quam in Cõcilio Tridentino, vel dixerunt, vel dictam in Concilio approbarent: nisi eò velitis rem deduci, vt plures numero in vestro Concilio esse prorsus cõtendatis: & iuxta vnus hominis sententiam, damnare orbem terrarú vniuersum. Nam fingite, dissimulate; omnes quotquot estis concionatores, quicquid scitis, quicquid valetis, id omne à vobis acceptú Martino referendú est. Cur, obsecro vos, cur vultis
adi-

adigere omnes mortales, vt illi monacho credant? Alioqui si veſtrū Conciliū core nō poteſt, vt nō poteſt nec debet, ſi non vultis dogmata Concilij Tridentini recipere; actū iam habetis omniū gratū Cōcilium excellentiſſimū; ſegregate præiudicia veſtra omnia, noſtra etia, ſi velitis, quod nō debetis. Sed ſeparate noſtra item, omnia omniū iudicia ſepone, quotquot poſt monarchiā veſtri Martini vel ſcripſerūt, vel ſententiā de huius tempeſtatis cōtrouerſijs dixerunt: tantū ad eorū Conciliorū & Doctorū Eccleſiaſticorū auctoritatē examine dogmata veſtra, qui anteceſſerunt. Videte vt ſincere id faciatis, obliſi veſtrarum & opinionum, & affectionum. Agitur de ſalute veſtra aterna. hoc, ſi candide faciatis; recipietis haud dubie, veram fidei lucem; veram ſalutem: erunt vobis dogmata Tridentini Concilij ſuaviſſima, Martini acerbiffima. Videte rurfus quō vos protrudat lux veſtra, & ſolitaria fides: quā inſidioſe atque inclementer vos accipiat, expendite; exiit vos præſidijs ſalutaribus omnibus; aufert à vobis omnē iuſtitiam; relinquit in peccatis, priuat ſacra-

sacra-

facramētis, vel quatuor, vel quinque, vel etiam pluribus (nam de sacramentorum numero apud vos certatur, & adhuc sub iudice lis est) omnium sacramētorum vera efficacia vos spoliāt; quod summum erat ac diuinum subsidium, extorquet à vobis sacrificium propitiatorium, tollit gubernationem hierarchicam, sanctorum inuocationem, veras pœnitentiæ partes, merita in Christo, sacras imagines; parte sanctarum scripturarum vos priuat; votorum monasticorum, atque adeò omnium auxilia vobis eripit, ista fides; omni vitæ perfectione quam Christus consuluit, vos nudat; ieiunia & abstinentiam abrogat; aufert consecrationes in Ecclesia, vsitatas; & quodnam est præsidium ad pietatem à Deo datū hominibus; quod solitudo vestræ fidei nō proijciat atq; conculeet? Cur, obsecro, vos estis tam exclusiui in omnibus vestris placitis; vt nullus sit apud vos locus vel potentior vel vsitator, quàm ab auctoritate negatiuè? Num hoc verum non est? si tempus me non deficeret, infinita ego huius rei testimonia proferrē. Cur vos vnum locum in scripturis

pturis, ita mordicus & tenaciter apprehenditis, ut alium auersemini? Iustificat fides: concedimus; iustificat item spes, charitas, sacramenta, per quæ omnis vera iustitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa recuperatur, sacrificium, oratio, eleemosyna, alia opera. Cur hæc sola non iustificant; si fides vestra sola iustificat? cur solus Baptismus non iustificat, etiam adultos? Cur non alij actus fidei, quàm vester? cui & sacræ literæ, & Doctores frequentissimè tribuunt iustificationem? Cur exclusionem omnem sibi arrogat vestra fides? Cur alia suam iustificationis rationem nõ tenebunt? Dixit Deus fidem iustificare; idem est Deus, qui alia quoq; dixit iustificare; quod si hæc sola iustificant, fides vestra non iustificat: atq; aded nihil horum quæ dixi, iustificat, si singula sola iustificat. Ecquid, videtis vestras solitudines & exclusiones quorsum euadant? Cur obsecro, quam dedit Deus, diuinam facultatē hominibus ipsi Deo cooperandi, & ante primam iustificationē in preparatione, & post primam iustitiam in merito, hominibus inuidetis? cur excellentissimo

mo

mo illo dono mortales expoliatis? Illo contenti estote, quod fides sit initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis: quid amplius queritis in fide, quæ iustificet impium? quid vultis: solam, vel soleam vestram, ut semel in disputatione fecistis, ad sutores amandate. Offendit illa vox Ecclesiam Dei: laetet in illa quod pietatem orthodoxam lædat. Imitamini in hac re sanctos Patres, qui in dogmatis fidei non errores solum, sed omnes etiam errorum occasiones exterminarunt. Potestis paruo negotio pacem Ecclesie optatissimam dare: videtis quid sibi polliceantur Calviniani, non solum nos breui euertere, sed vos simul, ut regnet solus Monarcha Calvinus. Porro quamuis sciam à vobis, illorum furias contemni: tamen est tandem de his controversiis pacifice constituendum. Est quidem pax inter eos qui veterem sequuntur Religionem, & qui Augustanam Confessionem, & utilis & necessaria: Pacem tamen aliam vobiscum vehementissimè o Germani desideramus omnes Catholici, non politicam tantum, quam habemus, sed eam quam non habemus: ut in religione, omnium sit una mens,


mēs, vnus animus, vna volūtas, vna doctrina, omnibus vna fides; quam pacē orbi etsi peccatis impediētib; Deus hactenus non concessit: spero tamen breui futurum, vt illam Ecclesiæ restituat Christus Iesus, qui est De' benedictus in secula. Quod verò ad te atinet, qui occasionem illi scriptori è tua defectione dedisti; nihil est quod commouearis, quòd te perstrinxerim: rem quam tu execrari debes, notaui, nō hominem, quem alioqui planè diligo, vt debeo. Patres præterea Iesuitas scio pro te studiosè ac diligenter Deum orare, qui sperant futurū, vt verè aliquādo ad Catholicam & Orthodoxam Ecclesiā redeas. qua in re, omniū superiorum oblitos, non dubito tibi opem luros; ita enim mihi confirmauerunt: non tamen sperare se, ad societatem te esse recipiendum: verū alia omnia officia, omnem benignitatem, posse ab illis expectare. Te autem, qui librum edidisti, τὸν σιλιτοπικόν, nulla animi amaritudine prosequor, sed diligo itē in Christo; qui & pro te, & pro me mortuus est, & resurrexit: tuam eruditionē, quam ego non
nouī

noui adhuc, quū mihi ignotus sis; tuas virtutes, si quæ sint, amo. Habet enim hoc virtus, vt viros ingenuos species eius, & pulchritudo etiam in inimico posita, delectet: & tamen ego te nunquam mihi præterquam in Religione inimicum arbitrabor. Cæterum sicubi te forsitan liberius appellauī, mihi nolim tribuas, sed vestrę causæ; soletis vos alioqui nos pungere; nobis aliqua nonnunquam excidunt, quæ vos fortassis perstringunt.

Societatis Jesu Paderb.

L A V S C H R I S T O I E S V .









FACIT

IV

FIDES

CASTA FIDES
CAPITULUM



Th

1164